





10  
EX DOCTRINA  
DE  
1764 6 17  
COMPENSATIONIBVS  
CAPITA SELECTIORA  
PRAESIDE  
MARTINO GOTTLIEB  
PAVLI D.

P. 92  
P. 92  
INSTIT. PROF. PVBL. ORD.  
DIE APRILIS A. R. S. CIOIO CCLXIV.  
IN AUDITORIO MAIORI  
AD DISCEPTANDVM PROPOSITA.

AB  
GODOFR. BENI. KOREVBERO  
DRESDENSE



VITEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.

KÖNIGLICH  
UNIVERS.

EX DOCTRINA

COMPTENSATIONIS

GALLIA SELECTIONA

PRAESIDI

MARTINO GOTTFRI

PAVLE D

INSTRUMENTORUM

die

INSTRUMENTORUM

AN INSTRUMENTORUM

GODOLPHE BENI KORNBERG

5/2





Q. D. B. V.

I.



ompensationem Modestinus *l. 1. D. de Compensat.* esse ait: *debiti et crediti inter se contributionem*, neque dubito, quin Ictus contributionem dicat pro confusione, vel commixtione, ex mutua solutione, iuris interpretatione, quasi per breuem manum, facta, profluente, quam ob causam ea etiam ab nonnullis solutio, dicitur, per breuem manum facta. Debetur autem compensatio non tam subtilitati Iuris Ciuilis, quam ipsi potius aequitati naturali. Etenim ex rigore iuris quidem creditor, cui obiicitur compensatio debiti mutui, non obstante hac exceptione, exigere potest solutionem eius, quod sibi debetur, et, si putat debitor, creditorem sibi inuicem debere, ius ei est petere, creditori defendere. Sed despectit iste iuris rigor et ab utilitate comuni, et ab aequitate naturali, etenim, cui bono soluere, et mox id, quod solutum est, repetere? Hinc recte Pomponius *l. 3. D. de Compensat.* ait: *Ideo compensatio necessaria est, quia interest nostra, potius non soluere, quam solutum repetere.*

II.

Vt autem procedat compensatio, necesse est, vt, qui ea vi volunt, inuicem sint creditores et debitores, vt sibi inuicem debeant. *Eius*, Gordianus *l. 9. C. de Compens.* inquit, *quod*  
):( 2 non



*non ei debetur, qui conuenitur, sed alii, compensatio fieri non potest, et Papinianus l. 18. §. 1. D. Eod. ait: Creditor non cogitur compensare, quod alii, quam debitori suo debet. Itaque, si miles testator duos instituit heredes, bonorum castrensi-um vnum, alterum bonorum paganicorum, si heres bonorum castrensi-um agit aduersus debitorem sibi obligatum; iste debitor compensare non potest id, quod ab altero paganico-rum bonorum herede sibi debetur, l. 16. pr. D. Eod. Item, si quis agat tanquam tutor, id compensabit reus, quod pupil- lus, non quod tutor, sibi debet, l. 23. D. Eod. etenim cum pupillo, non cum tutore, rem habet, et, quod tutor agit, in summa nihil efficit, quia perinde est, ac si pupillus ipse agat. Et, si duo sint tutores, rerum vrbana- rum alter, alter prouincia- lium, atque rerum vrbana- rum tutor si agat, id etiam recte com- pensabit reus debitor, quod pupillus sibi debet ex contractu prou- inciali, l. 36. D. de Administrat. Tutor. nam, ipso iure vna est tutela, licet plures sint tutores, qui administrationem rerum pu- pillarium diuiserint. Igitur aduersus omnes, qui inter se inuicem creditores sunt et debitores mutui, recte compensatur, nec refert, quis sit creditor, priuatus, an Fiscus, aut res publica, l. 12. D. de Compens. etenim ipse etiam debitor fisci, vel reipublicae com- pensare potest id, quod sibi fisci vel res publica debet, dum- modo non compenset in causis exceptis, quarum in l. 1. et l. 3. C. de Compensat. enumerantur octo. Sed quid, si debitor iureiu- rando promiserit, se soluturum? nihilo secius eiusmodi debitor recte compensat, neque illico periurus dicendus est, si com- pensationem obiciat, quia compensatio cedit pro solutione. l. 4. §. 7. D. de Re Indicat. l. 49. D. de Solut. l. 4. D. Qui Potior. in pign. l. 76. D. de Reg. Iur.*

## III.

**N**on quoduis tamen debitum, quamuis sit mutuum, admit- tit compensationem, sed quantitatis tantum, et earum re- rum,



rum, quae constant numero, pondere, et mensura, earum rerum, inter quas perfecta adest aequalitas, ita, ut una alterius vice promte et expedite fungi queat, nec opus sit aut decisione quaestionis, aut taxatione disparitatis vel affectionis, quae discrimen utriusque facere possit. Sic recte compensatur pecunia cum pecunia, oleum cum oleo, frumentum cum frumento, et generatim aestimatio cum aestimatione, quantitas cum quantitate, e contrario vero corporis cum corpore, speciei cum specie, corporis cum quantitate nulla est compensatio, *l. 18. pr. D. Pign. Action.* inuito enim creditori aliud pro alio solui nequit. Praeterea, omne debitum, compensationem admissurum, necesse est, ut sit purum, id est, cuius dies et cessit et venit, *l. 7. D. de Compens. l. 213. D. de V. S.* certum porro, verum et liquidum, *l. 14. D. de Compens. l. 14. §. 1. C. Eod.* nam cum minuendarum litium cauta inuenta et introducta sit compensatio, obiciens debitum controuersum et illiquidum, non effugiet condemnationem debiti liquidi, nisi istud illiquidum in contenti ad liquidum deducatur.

## IV.

Ceterum nihil interest, utrum debitum et creditum mutuum civile mixtum sit, an mere naturale, etenim, *etiam quod natura debetur*, inquit Ulpianus *l. 6. D. de Compens. venit in compensationem*, nil interest, utrum par, an dispar illius causa, *lul. Paulus Recept. Sent. Libr. II. Tit. V. §. 3.* utrum ex contractu debeat, an quasi ex contractu, utrum ex maleficio, an quasi ex maleficio, *l. 10. §. 2. D. de Compens.* Sed, si ex maleficio, vel quasi, debetur, tunc demum compensationi locus est, si civiliter, non item si criminaliter agitur, cuius differentiae ratio est, quod in civilibus actionibus et pecuniariis aestimatio mutui debiti per compensationem nullo tertii damno et praecudicio, quasi ex utriusque consensu, tolli potest,



est, ubi vero ab utraque parte incurrit criminis persecutio; neutri debetur poenae aestimatio, sed reipublicae, crimine utriusque laesae, ideoque neutra in compensationem potest deduci.

## V.

Olim tamen, debita, quae ex contractu descendunt, quod attinet, magna aderat differentia inter bonae fidei, et stricti iuris actiones. In istis, nempe, compensatio fiebat ipso iure, si quid actorem reo inuicem praestare oportebat, non tantum propter praestations mutuas, quae sunt ex eodem contractu, sed etiam quae sunt ex diuersis contractibus; in his autem compensatio admitti non poterat propter conceptionem actionum in his strictis iudiciis, in quibus libera non erat iudicis potestas, sed formula includebatur, ut, si pateret, reum dare aut restituere oportere, eum condemnaret, omni proffus compensatione susque deque habita. Ast Diuus Marcus postea constituit tamen, ut in strictis quoque iudiciis compensatio, opposita doli mali exceptione, induceretur. §. 30. *I. de Action.* Suberat vero post hanc diui Marci constitutionem adhuc differentia alia inter bonae fidei et stricti iuris actiones, quod, scilicet, in illis ipso iure induceretur compensatio, eodem modo, quo aliae exceptiones iis ipso iure insunt, in his autem ea non aliter admitteretur, quam si per exceptionem doli mali esset opposita. Sed placuit tamen postea, ut in strictis quoque iudiciis, non opposita demum doli mali exceptione, imo potius, ut in ceteris bonae fidei iudiciis, ipso iure admitteretur. *l. 21. D. l. 4. C. de Compensat.*

## VI.

Obtinebat autem olim compensatio iis tantum in actionibus, quae sunt in personam, utpote quibus proprie petitur debitum ex obligatione, minime vero in actionibus in rem, quippe

pe



pe quae non ex debito, nec ex obligatione veniunt, sed ex dominio potius proficiuntur, vel ex iure in re. §. 1. *I. de Action.* Sed Iustinianus tamen compensationem ad actiones quoque in rem porrexit, quando: *Noftra*, inquit §. 30. *I. de Action. constitutio easdem compensationes, quae iure aperto nituntur, latius introduxit, vt actiones ipso iure minuant, siue in rem, siue in personam, siue in alias quascunque l. 14. C. de Compens.* Ast ab ceteris tamen actionibus personalibus excepit Iustinianus *actionem depositi*, addita hac ratione: *ne sub praetextu compensationis, depositarum rerum exactione quis defraudetur.* §. 30. *I. de Action.* Ceterum tamen ante Iustinianum quoque eandem hanc bonae fidei reuerentiam in actione depositi seruatam fuisse, Iulius Paullus *Recept. Sent. Libr. II. Tit. XII. §. 12.* nos docet, quando: *in causa depositi*, inquit, *compensationi locus non est, sed res ipsa reddenda est.* Excipitur autem praeter actionem depositi in *l. ult. C. de Compens.* etiam actio ista, qua possessio rei alienae, perperam occupatae, repetitur, utpote quae sine controuersia restitui debet, *l. II. §. 3. D. Locat.* sine vlla cunctatione vel dilatione, omni postposita mora, et sub omni celeritate. *l. vn. C. Si per vim, vel alio modo absentis turbata sit possessio.* Nonne vero praeterea etiam in causa commodati cessat compensatio? Si res commodata adhuc exstat, et ab commodante repetitur, omnis quidem cessat plane compensatio, sed ideo ea cessat, quia in genere speciei cum specie, corporis cum quantitate nulla est compensatio, quodsi vero ab commodante rei commodatae, sed peremptae, petitur aestimatio, tunc utique locus est compensationi. Diocletianus quidem & Maximianus Imp. *l. ult. C. Commodat. Praetextu debiti*, inquit, *restitutio commodati non probabiliter recusatur*; sed haec huius constitutionis verba sententiae ante dictae obstare non videntur. Quamuis enim Iacobo Cuiacio adsentiri nolim, qui

*Obfer-*



*Observat. IX. 37.* hanc constitutionem corruptam esse contendit, in eaque pro *commodati* reponendum esse *commendati*, id est, depositi, existimat: in ista tamen ante dicta constitutione non tam compensatio in commodato, quam rei potius commodatae retentio, praetextu debiti, prohibetur, teste *Anton. Schultingio ad Iul. Paulli Recept. Sent. Libr. II. Tit. XII. §. 12. not. 21.*

## VII.

Quod autem ipso iure fieri dicatur compensatio, id eo pertinet, ut intelligamus, utriusque debiti mutui contributionem non ab eo demum tempore, quo res in iudicium deducta est, sed exinde potius, quo vicissim deberi coepit, suos exserere effectus, §. 30. *I. de Action.* ac proinde uturas concurrentis apud utrumque quantitatis confestim cessare, etsi novum illud debitum, quo vetus sublatum, aut minutum est, non fuerit usurarium, adeoque eam pro solutione esse, et per eam tum obligationem, tum eius accessiones ad summam concurrentem extinguere *l. 4. C. de Compens.* fideiussores item et pignora liberari *l. 4. D. eod.* quin imo id, quod omnia compensatione solutum est, conditione indebiti recte repeti. *l. 10. §. 1. D. Eod.* Ceterum tamen, cum, utrum adsit debitum et creditum mutuum, in facto consistat, neque iudex diuinare possit, quod inuicem debeat, ambigendum non est, quin obijcienda sit compensatio ab eo, qui ea uti vult, et alleganda in iudicio atque probanda. Nisi enim hoc fiat, non potest iudex, cui non constat, quod debeat utrimque, in condemnatione faciendam, compensationis habere rationem.



ULB Halle 3  
003 770 109



*50*







10  
EX DOCTRINA  
DE  
1764 6 17  
COMPENSATIONIBVS

CAPITA SELECTIONIA  
PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB  
PAVLI D.

262  
INSTIT. PROF. PVBL. ORD.

DIE APRILIS A. R. S. MDCCCLXIV.

IN AUDITORIO MAIORI

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB

GODOFR. BENI. KOREVBERO

DRESDENSE



VITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.

